6.T.

RAZAE
LIBELLVS DE PESTE

DE GRAECO IN LATInum ſermonem uerſus.

PER NICOLAVM MACCHELLVM
Medicum Mutinenſem.

QVI BIBERIT EX HAC AQVA NON SITIET IN AETERNVM.



Venetiis apud Andream Arriuabenum ad ſignum Putei, M D L V.

HERCVLI ATESTINO DVCI FERRARIENSIVM, *Mutinenſium, Regienſium, &c.* *Principi optimo*

NICOLAVS MACCHELLVS S. P. D.

CVM *ea tempora optime Princeps inſtare uideantur, quibus ob nimios intempeſtiuoſq́; imbres ingruentem peſtilentiam, quod tamen Dei optimi maximi benignitas auertat, quotidie timere debeamus: non paruam huiuſce temporis hominibus utilitatem allaturum me putaui, ſi Razæ ſcriptoris Arabici de peſtilentia opuſculum uerterem quamprimum de græco in latinum ſermonem. In quo, meo quidem iudicio, præſentiora ac concinniori breuitate de ſcripta traduntur huiuſce luis remedia, quàm in alio quo quam uel latini, uel græci, uel etiam arabici ſcriptoris libro contineantur. Ac non defuere præteritis temporibus qui id efficere ſunt conati, ſed illi ſeu mendoſi codicis fraude ſiue etiam fortaſſe græcæ linguæ artiſq́; medicinæ inſcitia lapſi ita uerterunt, ut ego, quod quidem arroganter dictum uideri nolim, meum huius uertendi laborem, neceſſarium propè fore iudicauerim. Conuerſum itaque ſalutarem hunc libellum cum mihi edere in animo eſſet, non alienum fore arbitratus ſum clariſſime*

Princeps, ſi eum tibi dicarem, ſub cuius imperio uiuerem, cuiq; præterea eſſem deditiſsimus: confidens fore, ut quemadmodum tua prouidentia hiſce temporibus, quibus uniuerſum ferè orbem bellis ardere uidemus, nos beati pace, ocioq; fruimur, ita cures ut his remedijs uniuerſi populi ſaluti, tuæq; in primis conſulatur: quam quidem conſeruari non tua ſolum, ſed etiam noſtra multò magis intereſſe iudicamus. Quod reliquum eſt, à te peto, ne munuſculũ hoc meũ aſperneris, cuius utilitatem non paruam futuram eſſe confirmo, ſed id tanquam ſtudiorum meorum primitias accipias uelim. quod ſi tibi non ingratum fuiſſe cognouero, mihiq; longior uita ſuppetet, conſequentur id iuſta uolumina, quæ & nominis tui claritatem, meiq; erga te animi ſtudium præſeferent.

RAZAE MEDICI PRAECLARI TRACTATVS DE PESTE EX SYRIACA LINGVA *ad græcam uerſus.*

Interpretis græci Proœmium.

QVód Galenus quidem, uenerabilis & ſemper colende Imperator, nihil ex his quæ medicam artē conſtituunt, prætermiſit, quodq; nihil eorum quæ ad corporum curationem & diligentiā pertinerent, mentē ipſius latuit: neminem eorum qui illius opera & labores ſedulo ſunt aſſecuti, non conceſſiſſe opinor. Atqui non ſicut ipſe in aliorum uſum tractationes elaborauit, ita doctrinam de peſtilenti morbo eſt proſecutus: ſed huius obiter & trāſeundo in ſermonibus quibuſdā eſt memoratus, cū neq; eó ſpectaret, vt aliquam curationem edoceret. Quamobrem mirū non eſt, ſi medici quidam huiuſce tempeſtatis nihil operepretium in huius curatione indicauerunt, ut qui nullam idoneam doctrinam, & artis præceptori hærentem acceperint. Illud igitur admiratione eſt dignum, quomodo is qui medicinæ artem prius informem diſtinctis membris con

formauit, quiq́ꝫ indiſcreta certis limitibus circumſcripſit, nègotium omnium aliorum ſumme neceſſariũ prętermiſit. Nullus enim ferè eſt hominum qui huiuſcemodi morbo non ſit obnoxius. Cauſa uero paulopoſt ſuo loco exponetur. Et quidẽ per Galeni tempora celebres uiri, gręce, opere & ſermone præclariter eruditi, ſublatam mentem ad altiores diſciplinas, ad alia quædam, & illa ſanè multi ſtudii digna extulere, nemo autem huius vel tantillum eſt memoratus, vtrius cauſa neſcio: vel quod noluerint, uel ſi uoluntas affuit, vires defecerint. Nos vero tametſi impræſentiarum nihil noſtri afferimus, ſed imperio tuo obſequentes pulcherrimam & abſolutisſimam huius ſapientis Razæ de peſtilenti morbo tractationem ſaracenicis dictionibus expoſitam ad græcas voces immutatam, tuæ celſitudini, vt animus tuus ſapiens ac diuinus huius etiam particeps ſit, exhibemus. ſtudii quidem, utilis, & animo, et prouidentiæ omnium communi. Quod ſi à te optimo principe ac rege benigni & cari iudicemur, tibi gratiæ habendæ, qui adhortatus fueris, moueriſq́ꝫ, & indeſinenter in quodlibet bonum opus ducas. Iam igitur doctrinam viri ſapientis ad Græcos trahere incipiemus, fidelem dei ſapientiam nobis ducem

eſſe, citra errorem propoſitam ſpeculationē enarrare, ac neque in alterutram partem declinare, implorantes: ſed vt hi, qui boni cauſa incedunt, hinc & inde tranſeuntes, nuſquā deuiantes & immoti, nulla nos dictio dubia prætereat, nulluſq; magnus, & ſublimis ſenſus effugiat. Vir igitur hic admirabilis, vbi morbum in duas ſpecies diuiſit, in quindecim ſermones eſt partitus.

QVAE IN QVOQVE SERMO-
ne continentur.

In primo quidem ſermone cauſas præordinauit, à quibus peſtis conſtat, & qua ratione omnes ferè homines tali morbo occurrunt, ſcripſit.

In ſecundo de corporibus peſti oportunis.

In III. de tẽpore in quo ferè peſtis in populũ graſſatur.

In IIII. ſigna inuaſionis duarum ſpetierum peſtis.

In V. de præſeruatione à morbo antequã appareant ſigna peſtis, & qua ratione cauere oportet ne prorſus cõſtet, uel posteaq̃ ſigna apparuerint, nõ excellat.

In VI. de curatione peſtis.

In VII. qua ratione naturæ opitulari ut peſtem ad corporis ſumma expellat.

In VIII. de prouidentia oculi & gutturis, & de curatione totius corporis ubi apparuerint peſtis ſigna.

In IX. qua ratione peſtis celerrimè concoquatur.

In X. quomodo ſiccentur quæ in peſte coctionem receperunt.

In XI. quomodo ſquamulas & cruſtas peſtis purgare oportet.

In XII. autem quomodo cicatrices ab oculo & toto corpore abolere oportet.

In XIII. de uictus ratione & alimentis eorum, qui capti ſunt à peſte.

In XIIII. de curatione uentris eorum qui à peſte ſunt detenti.

In XV. de miti & lætali peſte.

DE CONSTITVTIONE PEſtilenti, & qua ratione omnes fere' homines tali morbo occurrant. Cap. 1

OB haſce cauſas ſinguli feré homines á peſtilenti morbo capiuntur, Quoniam omnes homines á generatione ad extremam uſque ſenectutẽ immutantur ac ſicceſcunt. Quocirca ſanguis infantium natura multo humidior quàm iuuenũ ſanguis, adhùc vero quàm ſenum humidior multo, immo & copioſam caliditatem eſt adeptus. Id quod etiam Galenus in expoſitionibus Aphoriſmorum dixit: Caliditas in pueris, inquit, quã in iuuenibus quantitate eſt maior, in iuuenibus autem uehementior eſt qualitate. Hoc uero in pueris ex naturalium functionum preſtantia indicatur, ſcilicet incrementi, coctionis, diſtributionisq́; ſanguis enim infantium & puerorum ſimilis eſt muſto, quod nondum coqui cæperit, non quod coctionem habet ad perfectionem accedentem, immo quod necdum coctionis motum habet. Iuuenum autem ſimilis eſt muſto, quod iam ferbuerit, & flatus emiſerit, quódque iam á ſtatu anteriore ſit immutatum, & iam admodum multum efflauerit

excrementi uaporoſi. Quale nimirum eſt vinum concoctum & manſuefactum, quodq; iam ſtatum abſolutum occuparit. At ſenum ſanguis ſimilis eſt vino, quod uehementiam iam expirarit, abiecerit que, quódque eó peruenit, vt iam iã perfrigeretur & aceſcat. Tunc vero peſtilens morbus conſtat, quando ſanguis ſané putreſcat, et eo vſq; ferueat, vt iam uaporoſa & cœnoſa expiret excrementa. Immo & cum ſanguis ex infantili & muſto ſimili ad iuuenum ſanguinem immutetur ſimilem quidem vino iam concocto. Et peſtilens ipſe morbus per ſe feruori & ebullitioni eſt ſimilis, quæ nimirum in muſtis accidit feruoris tempore. & ob id quidem omnes feré á tali morbo capiuntur, & magis mares, quoniam ſanguis ob neceſſitatem á priore ſtatu ad ſecundum immutatur, ſicut ob neceſſitatem muſta ad ſtatum, qui feruorem & ebullitionem ſequitur, immutantur. vix'que inuenire poſſes temperaturam infantis pueri'ue quæ tempore & paulatim, & ordine immutetur adeo, vt manifeſtentur in ſanguine feruor & immutatio in tempore & paulatim. Quam ob rem eiuſcemodi temperaturam, quæ conſequitur ad eum modum immutatam, frigidam & ſiccam eſſe oportet. Temperatura autem puerorum contraria eſt hiſce.

Quæ vero oſtendunt quód puerorum tem-peramentum calidum eſt humidúmque, ea fuerint, quód alimentum his ex lacte ſuggeritur, quód ſi non ex lacte, at parum antea quidem ac nuper hanc uictus rationem & alimoniam poſſederunt, quam non aliȩ quidem ætates omnes. Immo & hi magis quám reliqui delinquunt in uiuendi forma, & ob id euenit raro, vt horum aliquis hunc declinet morbum. Verum mutatio in morbo fit quodammodo iuxta temperaturarũ differentias, & uiuendi formas, & habitus, & aerem ambientem, & conditionem ſanguinis qui eſt in venis in qualitate & quantitate, & ob id prȩoccupat in quibuſdam, in quibuſdam tardat, & in quibuſdam augetur, minuitur in quibuſdam, & in quibuſdam admodum eſt qualitate malus, & mitior in quibuſdam. Verum iuuenes, quoniam ad ſecundum ſtatum iam immutatus eſt ipſorum ſanguis, & coctio ipſius complementum eſt adepta, & humiditatis huius ſtatus cui putredo ſubſtat, perſpirauit, raro in ipſos graſſatur morbus. In eos igitur irruit qui in venis vel ſuperfluã humiditatem, vel qualitatem malignam atque peruſtam habent, vel in eos quidem qui in puerili ætate leuiter á peſtilenti morbo capti ſanguinem non exacté ad integram abſo

lutionem mutauere. Irruit vero & in eos qui caliditatem hebetem, ac ſedatam habent, ſed iuuenes effecti ea uiuēdi forma utuntur, quæ multam carnem accumulat, vel quæ implet, & ſanguinem corrumpit. Senes vero non accidit hoc morbo capi, niſi in peſtilentibus cōſtitutionibus aëris putredinoſi & maligni, in quibus morbus eiuſcemodi in populum admodum graſſari ſolet. ſiquidem is mediocritate ſuperata ad ſummam caliditatem & humiditatem acceſſit, & calida conſtitutio ideo ad morbum vergit, quód ſpiritum, qui in duabus cordis cauitatibus ſedem habet, per cordis medium ad ſuum temperamentum tranſfert, de hinc ſanguinem etiam uniuerſum qui eſt in arteriis. Cum igitur breuibus & oratione uniuerſali peſtilentis morbi cauſam dixerimus, nobis etiam ad corpora peſti obnoxia tranſeundum.

De corporibus morbo peſtilenti opportunis. Cap. 2.

SVnt igitur corpora alba & humida, & obeſa, & rubra. Et peſſimum quidem eſt, ſi præterea ex numero eorum ſint, qui à continuis febribus capiuntur, qui'que ſanguinem fundunt, & cruentis affectibus ſunt

expoſiti, bullisque & inflammationibus oculorum, & lippitudinibus, papulisque. Adhucvero pesſimum eſt, ſi multis veſcantur dulciariis, ac præſertim palmulis, & melle, & ficubus, & generibus ciborum qui craſſarum partium ſunt & dulces, cuiuſmodi ſunt melleæ placentæ, & pulticulæ. Quinimmo & huic affectui noxia ſunt, multa meri potio & dulcis lactis uſus. Corpora uero gracilia, bilioſa & ſicca & calida, ἐυφλογία, hoc eſt, incendio ſunt oportuna. Ε'υφλογίαν vero veteres vocauere, alteram ex duabus ſpeciebus ſæuiorem, quo modo à multis hanc ſic etiam vocari audimus. neque vero hoc nomen in græcis dictionibus licuerit inuenire: atqui doctus hic vir ſua lingua, chaſpe, nuncupauit. ſignificat autem dictio idem atque, per ſe: opinamur autem eum dicere velle idem atque, ipſo affectui peſtilenti ſunt obnoxia. Verum ſi affectus adhuc mutuo differunt, nec mutua carēt communitate, nec abſonum quicquam. nihil enim differentiam habet, quod non habeat communitatem. Sed ne circa nomina tempus conteramus. Nos, quando vir iſte ſapiens differentias ſuo tempore manifeſtet, ad rem propoſitam reuertemur. Verum ſi forte per peſtem papulę effloreant, accidit alterum contrariorū, vel mites & ſalubres eſſe, quod

faciles ſint numeratu & paucæ, & obſcurę: uel perniciosæ & ualdé exitiales: hæ vero vel ſqualidę & ſiccæ, vel putreſcentes, & quę non concoquuntur. Atqui gracilia corpora, & quæ frigida ſunt temperamento, his duabus ſpeciebus, ſcilicet peſtilenti & incendioſę, nequaquam ſunt expoſita. ſin forte accideret, mitis ſané eſſet: cum febre quidem cõtinente, ab initio ad finem uſque: ac cum mediocri, concocta, & miti.

De tempore in quo peſtilens morbus magnam populi partem inuadit. Cap. 5.

Tempus vero quo in populum graſſatur, et exuberat, hoc eſt. Autumni pars poſtrema & veris initium, Item cum pluuioſa eſt æſtas, & auſtri uicisſim ſpirent. Adhuc cum hyems tepet, & conſtitutio eſt auſtrina. Cum vero æſtas ſit uehementer calida, ſiccaque, & autumnus calidus ſiccúsque, & pluuię tarde admodum aduentabunt: tunc incendium eos præoccupat, qui ad ipſum cõmode fuerint cõparati, graciles dico & calidos, et bilioſos. neque raro euenit vt in regionibus quibuſdã incolæ regioni aſſueti, innocui per manerent, tametſi ambiẽtis ſtatus ſenſim ad pe

ſtilentem immutaretur, fuerint vero occupa tiá peſte in optimo tẽporis ſtatu. Præcautione igitur ſtatim vt cœperit & apparere & hominibus appropinquare, vtendum, ſicut inferius exponemus.

De ſignis inuaſionis duorum generum Peſtilentis morbi. Cap. 4.

SIgna vero peſtis & incendii, quæ exacerbationem euidenter moſtrant, ſunt hæc. Antecedunt hæc duo genera morbi, continẽs febris, dorſi dolor, narium pruritus, in ſomno pauor. Sunt hæc propria horum ſigna, magiſq; dorſi dolor vná cum febre, cum his etiam languens toto corpore pungi opinatur. præterea & pandiculatio, & oſcitatio frequens, & in gutture et thorace dolor, cum ſpiritus difficultate, & tuſſi, & corporis inflãmatione, & ſiccitate, et ſputi craſſitie, vox his rauca, cũ capitis dolore, pulſu, & grauitate. Inſuper grauiter morbũ ferunt, mœrẽt, nauſeant, & faſtidio detinentur. Verũ uómere & grauiter morbum ferre, & mœrore affici, peſti potius quám incendio ſociantur. Dolor autẽ dorſi, & caliditas corporis vniuerſi, & inflammatio, & feruor, & coloris ſplendor, magiſq; uehementia ruboris gingiuarum, magis fami

liaria ſunt incendio. Quamobrem cum hæc ſigna videris ac preſertim preſtantisſima, uelu ti dolorem dorſi & pauorem cum febre continenti, peſtis initium eſſe ſcito: tametſi huic magis familiaris eſt dorſi dolor ſicut dicebamus. neque propterea peſtilenti morbo contraria ſigna ſunt mœrore affici & nauſeare. quoniam incendium ex ſanguine conſtet bilioſo, mitior autem peſtis plus habeat ſanguinis boni quàm maligni et corrupti. Et ea eſt cauſa quod non deſtituitur a dolore dorſi. Namque inter duos muſculos qui ſimul adiacent ſpinæ, vena & arteria diſtenduntur. Memorandum igitur eſt curationis ſcopi, ſimul Et prouidentiæ, nec nõ vniuerſalis rationis, & primum circa præcautionem dixerimus, qua ratione morbum ante ſignorum apparitionem propulſare oporter, quaque ratione reiicere ſignis iam declaratis. ſecundum qua ratione cito extirpetur. Tertium autem oculis & palpebris, immo & aurium ſordibus, & his quæ in naribus & gutture continentur, articulisque omnibus prouidere, ſcilicet ne ad malum accidat permutari. Quartum celeritate moliri morbi coctionem. Quintum papulas cito exiccare. Sextũm quomodo oportet cruſtas abiicere, teſtasque ſquamulasque Septimum, quomodo cicatrices ſint delẽdæ,

Octauum,de victus ratione,déque alimentis eorum qui peſte male habent. Nonum,quomodo ventri,ne multum profluat,ne uè morti occurrat, prouidendum. Decimum, ſigna mitis & exitialis ponit. In ſingulis vero ſcopis rationem uniuerſalem conciſam & idoneam dixiſſe oportet. Venam igitur in adoleſcentibus,& pueris,& iuuenibus,qui necdū in peſtem cecidere,vel in eam quidem leuem & obſcuram,ſecare oportet: magis vero etiā vbi conſtitutiones peſtilentes ſe ſe, ante aduētum febris & antequàm ſigna morbi apparuerint, declararint. Sed his qui decimum et quartum ætatis annum agunt,ſecanda. Agēdum vero cucurbitulis cum iunioribus. Domus inſuper,in quibus decumbunt,perfrigerandæ. Cibis uesſcendum qui ex acerbis ſint elixati, neque non gelatis acetoſis, & acidis in ſartagine apparatis, lactucisq́: Fontana vero aqua limpida, perfrigidaq́ propinanda,quæ ſi non adſit, niue perfrigeretur. domus vero in quibus iacent,ex hac frigida cōſpergantur. Ipſis autem ad tempus acida punica mala exhibeto, & decoctum tempeſtiuorum fructuum acidorum, atque acerborum, & acidas citri partes, vuasq́ acerbas, & ſycomora, quæq́ ſimilia ſunt his. Siquis vero calidiore temperie ſit affectus, ac peruratur,

ptiſſanæ ſuccum admittito diligenter coctũ, ſed ubi prius inieceris ſucci huius ex ſucco acidi punici mali, vtpote quartã partem. Si quis vero minus æſtuat, polentis cum ſacchare veſcitor ſummo mane: Sed habeto potius nonnihil ex acidis alimentis, lentibusq́ & omphacio, & acidis punicis malis. quoniam hæc magis quàm reliqua ſanguinem craſſum reddunt, ac refrigerant, inhibentq́ ac repellunt peſtem. Hæc enim victus ratio nullo non tempore peſtilentibus conſtitutionibus eſt ex vſu, & malitiam minuit tuberculorũ, & affectuum, qui ſtrangulare poſſunt, & vt ſummatim dicam, malorum omnium quæ de flaua bile, atque de ſanguine oriuntur. Verum meridie aqua frigida perluantur, vel in natatorium deſcendãt, inibiq́ natare permittantur, atque admoneantur. Deuitent vero lac dulce & vinum, & palmulas, & mel, ac prorſus dulcia omnia, & calida cõdimenta, et δαυκία, ideſt vina condita ex paſtinaca, & columbinas, & ſuillas carnes. Præter hæc vero ſi temperatura admodum calida ſit humidaq́, & putredini obnoxia, vel calida & ſicca, ęſtubus & inflammationi parata, ſitq́ tempus peſtilens & malignum, medicamentum aliquod ex his, quæ paulò inferius dicentur, ſuppeditato. Et his, quidem qui calido &

ſicco, & peruſto ſunt temperamento, olera offerre confert frigida, humidaq́, ſicuti maluam, cucurbitam betam, rumicem, & tetrangurain. Ipſis vero dulcibus peponibus omnino abſtinendum. quod ſi forte aliquid horum acceperint, exinde ſtatim ſuccum potanto tempeſtiuorum fructuum acidorum. Tu vero ipſos piſcibus nutrito, qui molli conſtent carne, & acido lacte, Raib vocato, ſcilicet lactis acetoſi ea parte quæ acidior eſt, quæq́ eſt velu ti ſanies ex ipſo excreta, quam ſapiens hic vir Raib vocat. Verum obœſis & albis & rubeis, minus alimenti eſt offerendum perfrigerantis & ſiccantis, à nobis iam antea indicati. Atqui eæ admonitiones omnibus communes ſunto, ſcilicet vt abſtineant à labore, balneo, venere, motu, & mora ſub ſole, puluereq́: item à potu aquæ ſtantis, à fructibus mollioribus, à leguminibus rubigine vitiatis, vel in putredinoſum affectum tendentibus, vel etiam humiditate expletis. Horum autem aluos ſi opus fuerit moueto ex prunorum damaſcenorum ſucco, & ex lactis ſero cũ ſacchare. Ipſos vero à ficubus, vuisq́ arceto. quoniam ficus bullarum aduentum inhibent, ſimulq́ excrementa introrſum pellunt, ac præterea efficiunt, vt in ſuperficie corporis bullæ obſcuræ euadant. atqui vug

quidem ſanguinem flatu implent, & ad inſi-
gnem molem extollunt, faciunt q́ue vt feruori & ebullitioni ſit accommodatus. Verum ſi aer admodum ſit peſtilens & putredinoſus & malignus, faciem multo ſtillatitio ex roſis abluito: imbuito vero lintea ex odoratis, & ex eiuſmodi liquidis, & naribus admoueto. Hæc enim prouidentia & diligentia admodum eſt ex vſu in aeris affectibus peſtilentibus & corruptis, & in morbis qui in populum peruagantur, deo bene iuuante. At infantibus nuper natis, & qui lac ſugũt, ſi quintum menſem exceſſerint, ſi bona carne præditi ſint, ſint q́ue albi, rubri'ue, cucurbitulas apponito. Nutrix vero his alenda eſt, quæ indicata ſunt in his viuendi formis. His autem, qui oblatum cibum capiunt, quantum præſenti ſtatui conuenit, ex prædictis ſuppeditato. Ne excidant igitur à memoria medicamenta, à quibus ſanguis craſſeſcit, frigefit q́ue, & putreſcere ac perturbari inhibetur, deo opitulante.

De præſeruatione à morbo, cum necdum ſigna peſtis apparuerint: & qua ratione deuitare oportet ne omnino conſtet, vel ne in immenſum prodeat vbi iam ſigna apparuerint. Cap. 5.

ARcet in vniuerſum acidum omne, vt acetum, & lac, quod interueniente feruore aceſcit, quando probè fuerit inſolatum, & acidæ citri partes. His autem commodiora ſunt, quæcunque & aſtringunt, & acida ſunt, cuiuſmodi vua acerba, & rhus ſyriacus, & poma ſcilicet cotonea, & punica acida, & omnia quæ ex ſui ſubſtantia ſanguinem craſſum reddunt, qualia ſunt zizipha, & lentes, & coriandrum, & lactuca, & papaueris capita, & intybum, & ſolanum, & cinerula, pſylliumq́. eſt & aliud medicamentum, quod exacerbationem & ſanguinis & febris turbationem ſedat, ſed & iecori peruſto prodeſt, & flauam excernit bilem. Roſarum contritarum ſextulæ x. cinerulæ ſextulæ xx. rhu ſyriaci, & pſyllii, lentis expurgatę, oxyacanthæ, ſeminis portulacæ, ſeminis lactucæ, capitum papaueris albi, & papaueris ſingulorum ſextulæ v. ſandali albi ſextulæ ii.s. Hæc ad tempus offer ſummo mane quantitate duarum ſextularum cum vnciis quinq; ſucci acidi citri, vel ſucci punici mali, vel ſucci vuæ acerbæ, & ſimilium. Prodeſt & oxyzacchar ad hunc modum apparatum. Sunto aceti acris pars vna, ſtillatitii roſarum partes duæ, miſcentor, & in ipſis per tres dies macerentur foliorum roſarum ſiccarum contri-

tarum vnciæ quinque, roſarum Aegypti vnciæ duæ, radicum fœniculi vncia vna: & vbi ad eum modum coxeris percolato, dehinc ad aceti quantitatem iniicito ſaccharis duplum, triplumue, & quod coctum fuerit in globulos ex ſucco pſyllii conformato, quorum vrgente neceſſitate ſextulas tres cum vncia vna oxyzaccharis percolati propinato. Prodeſt vero magnifice medicamentum ad hunc modum apparatum huic morbo. maiore enim vi pollet vt intuiti iam ſæpe ſumus, adhuc vero & probatum eſt, & quod nimirum ex fructibus temporariis præparatur, molliores enim fructus ita appello, niſi forte id quod Indi compoſuere, confectionem noſtram bonitate excedat. Fatentur quidem Indi illi, ꝙ ſi noſtrum id, quod ex temporariis fructibus præparamus, aliquis vbi iam nouem papulæ effloruerint epotet, decimam nequaquam ædit. Noſtrum autem in hunc modum apparatur. Veteris aceti acris lib.iii. ſuccorum punici mali, acidę partis citri, & vuæ acerbæ, & oxyacanthę, & ſycomori, adhæc infuſionis rhu ſyriaci, & ſucci ziziphi, infuſionis lēti, & ταρχῦ, (ideſt) intybi, ex Arabum lingua, quorundam Talmudiſtarum authoritate, ſed eam uocem Rabi Solomo per criſpellam interpretatur, nos

criſpinum,& cicerbitam appellamus)ſingulorum lib.vna. Quibus vbi ſaccharis libras tres inieceris, coxeriſq; ad conſiſtentiam eius compoſiti liquoris,quem Syri iuleb vocant, ac dehinc cinerulæ albæ & optimæ libram mediam acceperis,in mortario mundo leuigato, poſtea adiicito medicamenti ad eum modum apparati adhuc feruētis portionem, & cum piſtillo donec ambo ſint ſoluta & commixta conterito, fruſtulis vero anguriæ perturbantor, hederaceisve lignis. verum præſtiterit anguriæ fruſtulis perturbaſſe. Tu vero, antequàm appareant ſigna peſtis, & vbi iam apparuerint, ſicut admonebimus vtitor. Hoc enim cuiuis affectui ſanguinis,& flauæ bilis, & ſuffocationis eſt ex vſu, ſed & bullis & conſimilibus, deo opitulante. Hæc eſt præſeruatio ipſa à peſte ante aduentum febris. Repellit enim hæc oportune, & ab repulſione efficit vt qui ipſo vtantur, vel non amplius ab hiſce,vel vix capi poſſint,vt ſanguinis mutatio non ſimul tota ad alterum ſtatum fiat repente cum perturbatione & feruore, & ſymptomatis neceſſarii periculi & timoris. Immo paulatim quidem & tempore,& ordine,adeo vt permutari coctio ſit,nõ putrefactio, & citra ſymptomata quidem,& periculoſas,& malignas,& letales febres,im-

mo & citra ſanguineos affectus futuros quidem aliás omnino.

De peſtilentis morbi curatione. Cap. 6.

FEbris vero ſi acceſſerit, euidenter ſigna peſtis oſtendens, non inconſulto utendum his viuendi formis, ſed habita conſideratione, ac definitione, exacta animaduerſione, quoniam periculum quod inde habetur maximum eſt valde. Nam dum ſanguis perturbatur, dumq́ꝫ in tumorem eleuatur, & ſimul inaugetur, dumq́ꝫ natura contendit vt omnia excrementa repellat, & ad externa, & ad alias partes corporis excernat, ſi profecto opus non expleret, neque diligentia ſcopum craſſefaciendi, atque extinguendi, cuius ante inuaſionē opus erat, attigerit, neceſſum eſt ſemel ac bis terq́ꝫ exacerbationes aduentare. Tuncq́ꝫ non ſolum naturæ non opitulabere, ſed nec operi ipſius repugnabis ac reſiſtes. Neque enim fieri poteſt, vt quando vehemens inſtabit feruor, & perturbatio facta fuerit, ſedes ipſam, niſi cum periculoſis valde, ſcilicet cum his, quæ ſanguinem præter modum refrigerent, atque addenſent, ſicuti cum opio, cicuta, lactucæ ac ſolani ſucco, & his ſimilibus. Verum periculoſus eſt hic curandi

ſcopus. Quoniam ſanguis fortaſſe ſimul cogetur,& inſitus extinguetur calor. Tamen ſi ſupra modum non perfrigerabis,non vtique ſedare poteris feruorem morbi,neque caliditati alienæ ac putredinoſę reluctari. Quæ vero ſupramodum refrigerant, non raro quod mediocre eſt præterlabuntur,& inſitum calorem extinguunt. Te igitur illius volumus admonere, quod quidem medici vel per inſcitiam,vel quòd parum in arte ſint exercitati contempſere, ne in futurum periculoſam & erroneam curationem tentes. Cum igitur videris ſigna peſtilentis morbi, corporis inquam tenſionem,crebram pandiculationem, dorſi dolorem, ruborem oculorum, capitis pulſationem,ingentem & ſublatum languentis pulſum,& magnam ſpirationem,& difficiles animi mores,& vrinam turbidam ac rubram, & corpus tangenti molle calidumq́; eorum inſtar,qui vſi ſunt lotione: ſi inquam languens multa carne abundat, & viuendi forma vſus ſit, quæ implet,tu venam incidito,& quàm multum ſanguinis effundito,ſcilicet ad animi defectionem vſque. optimum vero eſt effundere de media cubiti vena, aut de ſurculis eius. ea ſi non apparet,ſecato internam, & ipſa non apparente, capitalem. uerum detrahere præſtiterit de vena poplitis

interiore, media non inuenta, quoniam tales venæ ſanguinem de magnis alui viſceribus magis quàm capitalis, trahunt. Cum vero hæc ſigna admodum euidentia non erunt, veruntamen vehementia quidem, parum ſanguinis fundito: ſin minima, minimum. Et ad hunc modum ipſi, quæ febrem extinguunt porrigito, nimirum frigida, cuiuſmodi eſt aqua in niue, quam ſi euomuerit, rurſum propinato. Cumq́ue videris quòd ab extinguentibus ſedatur febris, quodq́ue corporis tactus ad naturalem affectum redit, talem ne deſere curationem. Depones igitur interea perturbationem omnem, & exacerbationem morbi peſtilentis: eſt vero aqua, quæ in niue eſt perfrigerata ex his, quæ egregiè extinguunt, frigefaciuntq́ue, affatim & abunde propinata. ſcilicet quoad perfrigeratio in vẽtre ſenſu ſit percepta. Quòd ſi præterea accedet febris, caloŕque reuertatur, porrigito ſecundo quantitatem librarum trium ampliusve. idq́ue in horæ dimidio. Verum ſi redibit calor, ſitq́ue venter aqua expletus, priorem vomito, rurſumq́ue propinato. Sin videres aquam penetraſſe, & languentem ſudare, & vrinam promoueri, id tibi ſignum euidens eſto, proximam eſſe ſanitatem. Verum ſi aqua non permeauit, rurſumq́ue calor quaſi pacatus & inaugetur,

& reuertitur qualis erat, amplior've, tu frigidam aquam omitte, & ad medicamenta extinguentia ac ſedantia, quæ iam antea oſtendimus, declinato. Quòd ſi languens morbũ bene ferat, & iam morbus eſt imminutus, tali curandi modo hæreto. Sin videas malignam tranſmutationem ſuccedere, & languens mœret, fertq́ permoleſtè, & eæ difficultates vincunt, ſcito neceſſum fore peſtilentem morbũ, & incendium perturbari, atque exacerbari. Quocirca tunc oportet recedere ab his viuendi formis, & ſatagere, vt naturæ opitulemur. quò ſuperfluitates excernat, excutiatq́, ſicut nos nunc admonebimus.

Qua ratione oportet naturæ opitulari vt peſtilentem morbum ad corporis cutem pellat Cap. 7.

LAnguentem in indumentis foueto, & in domo non admodum frigida prius tunicula plena indutum reclinato, & faſciis circa collum tuto admotis, & ad eum modum frigidam aquam paulatim ſorbere imperato, & tunc magis ſi febris vehementer ſuccendatur: frigida enim aqua, ſi paulatim ſorbetur ſudorem mouet, & ad expulſionem ſuperfluitatem ad corporis ſuperficiem dirigit,

& opitulatur. dehinc in mundas olas vbi feruidam aquam inieceris, vnam ad anteriorem partem, alteram ad poſteriorem apponito, quò vapor in vniuerſum corpus ſolo vultu excepto, efferatur, vt corpus rarefaciat, & ſic excrementa expiret. Atqui opus eſt vt languens aerem ſuauem, frigidumq́ꝫ inſpiret. Hac enim diligentia excrementa non modo facile expelluntur, ſed etiam ſeruabis vires. neque vllam vel præſtantiorem, vel conducibiliorem hac curatione eſt inuenire. Adhuc vero & corpus fricare, & calida aqua ſouere oportet, ſicuti dicebamus. Quãobrem, & balnea & balneorum cauitates, δεξαμενάς vocant, & πτύελοι. ideſt balneorũ vaſa, difficilia in tali affectu. immodice enim calefaciũt, & vires diſſipant, faciuntq́ꝫ vt languens animi deliquio capiatur. Verum inſtante animi defectione (natura enim aliis omnibus ſpretis ſe erga ſe ipſam, & per ſe ipſam exercet) in periculis languens erit, magisq́ꝫ ſi vehementer & nulla interpoſita mora ab animi deliquio capiatur. nullumq́ꝫ eſt euidentius ſignum interitus in hac parte, quàm vt animi defectio, animi defectionem ſubſequatur. uires enim iam abolitas ac deiectas eſſe oſtendit. Id vero ſi ſemel accidat, fortaſſis ab excrementis opprimi, atque extingui poſſent. Si-

nendum igitur non eſt, vt poſtquam foueris, humiditas in corporis ſuperficie immoretur, ſed exacte eſt & detergenda, & ſiccanda. Et hæc quidem facile excrementa expellunt, ſcilicet ſi natura infirma non ſit, ſintq́ ſuperfluitates, nec craſſæ nec difficilis excretionis. Verum ſi febris quodam modo lenis & quieta eſſet, & languens animum prorſus deſpondeat, vixq́ ferat morbum, peſtisq́ difficile & tarde excernatur, medicamentis excutientibus poſt quintam diem vti eſt neceſſum. Atqui ea temere offerre non oportet, ſed diſtinctione ac conſideratione habita, ſicut quando de extinguentibus loquebamur, dictum fuit. delictum enim in hac parte, licet priori illi æquale non ſit, magnum eſt quidem. Quamobrem non oportet hiſce inconſulto vti. ſed priore quidem curatione vti eſt opus, quoad ſperes ſecunda non egere, magisq́ ſi febris ita hebes ſit intus ſicuti eſt foris, id quod planè ex pulſu & inſpiratione tibi notum fiet, ſcilicet ſi nec celer, nec magna, nec frequens ſit, & vbi quantitas febris non duplũ vel amplius ſuſceperit incrementum. Cõſiderabis aũt an caloris vehementia languentem, vel ad interitum, vel non ſit adductura, id quod planè dignoſces quidem, ſi præſentem febrem cum aliis cõferas, à quibus vel languens vel alius

quidam eiuſdem temperamenti & habitus cum languente captus fuit. Hæc ſi eundem curſum tenent, languens à morbo abſoluetur. Tu vero his rurſum vtitor, ſi inſtantibus pertubatione, & exacerbatione & excretione ad cutem, ſpectabis languentem facile ſtare, pulſumq́ præterea & inſpirationem bene habere. Quòd ſi videas excretionem ad cutem remorari, & in tali affectu offerre velis quæ valde extinguant, videbere naturæ aduerſari, & ipſius actioni repugnare. Verum ſi accidat languentem ex vſu extinguentium contriſtari, & impatientem eſſe, nec eadem prius euenerint, te profecto deliquiſſe ſcito. vel etiam ſi pulſus accedat cordis. Quocirca illico cutem rarefacere oportet, ſicut dicebamus, & calentem aquam offerre, in qua cocta ſint & fœniculus & apii ſemen, quæq́ poſterius indicabuntur: quo nimirum morbus peſtilens pro ratione imbecillitatis, caliditatis ac feruoris expellatur. Immo etiam vt ſpectabis languentem, vel facilè, vel difficulter huius incrementum ferre, ſicut tibi à nobis ſuperius monſtratum fuit, & vt perſpexeris ita facito in hac parte. Caricas luteas xxx. & paſſularum ſine acinis vncias duas, vbi in aquæ lib.iii.inieceris lente feruefacito quoad liqueſcant, tu vero languenti libræ dimidiū

porrigito per ſingulas tres acceſsiones, vbi ipſum prius in indumentis calefeceris, foueriſq́; vt dicebamus. Aliud efficacius. Semen apii & fœniculi vbi in teſtula ex præmonſtrato iure elixaris donec rubeſcat, & per colaueris, quantitatem trium vnciarum propinato. Aliud compoſitum in hunc modum, Roſarum contritarum ſextulas tres, lentis præpurgatæ ſextulas tres, caricas luteas numero decem, paſſularum albarum ſine acinis ſextulas duas, tragagāthes ſextulas duas, laccæ præpurgatæ & prælotæ ſextulas duas, fœniculi & ſeminis apii ſingulorum ſextulas tres, aquæ libras duas, coquito ſimul, quoad libra vna extet, & vbi deſæcaueris, libræ dimidium porrigito cum croci pondere duum ξιλοκόκκων, ideſt granorum ligni, & parte dimidia grani ligni bis vel ter neceſsitate vrgente. Iam igitur eorum memorabimur, quorum prouidentiam habere oportet.

De prouidentia oculi & gutturis Cap. 8.

OPortet autem in primis vbi ſigna peſtis apparuerint, oculorum habere rationem, dehinc gutturis, nariumq́; ſicut nunc exponemus: Forte vero etiam cogeremur & volæ manus, & plantæ pedis. Quoniam ac-

cidit haſce partes ab vehementi dolore cru-
ciari. nam ob duritiem pellis in his locis pe-
ſtilens morbus inde excernitur difficulter.
Tu peſtis ſignis apparentibus oculis roſarum
ſtillatitium non rarò inſtillato, & conſequen
ter die eadem ſæpe faciē ablue frigida aqua,
& irriga oculos ex eadem. Quòd ſi peſtis qui
dem ſit mediocris & obſcura, tali curatione
contentus eſto ſecuritatis cauſa. nam obſcu-
ra, & mediocris peſtis, & quæ materiam pau
cam habet, raro de oculis exit. Vbi autem in
initio videris exacerbationem ingentem, &
multum pruritum palpebrarum, & rubore͂
in locis quibuſdam oculorum, vt neceſſum
ſit tubercula de rubicundis efferri locis, tunc
oportet vt valde roborantia oculo admo-
ueantur. Quę vero inſigniter roborant ſunt,
ſtillatitium roſarum, in quo rhus ſyriacus ſit
maceratus. Quòd ſi amplius velis roborare,
gallas contere cum roſarum ſtillatitio, & cor
tices acidi mali punici vbi pinſueris irriga-
to. Palpebras autem collyriis compoſitis ex
glaucio, Acacia, & aloe illinito, vbi parti
vnæ ſingulorum partem vnam addideris, &
veluti croci decimam vnius horum partem.
nonnihil etiam huius in oculum inſtillato.
Quòd ſi videas materiam admodum exube-
rare, et peſtilentem morbum admodum ve-
hemen-

hementem eſſe, multamq́ adeſſe bilem fla-
uam,& ſuſpicaris neceſſum eſſe ab oculis ex-
pullulare(hoc vero dignoſces prorſus,ex his
quæ ſpectabuntur, ſcilicet ex rubore candi-
dæ partis oculorum,& procidentia, atq; em-
minentia eorundem) immo ſi videbis quod
quæ in ipſo inſtillantur, non repellunt qui-
dem, ſed ſedant tantum,ac rurſum reuertun-
tur qualia antea erant, vel etiam vehemen-
tiora: tu hæc omitte, & garum ex pane ap-
paratum inſtillato. Peſtis autem quæ in tuni
cula coniunctiua eſt enata, intuitum nequa-
quam lædit. at quæ in cornea contra pupil-
lam expullulat, intuitui eſt impedimento:
quatenus etiã ad craſſitiei & tenuitatis pro-
portionem pupillam abſcondit. Poſt hoc au
tem ea quæ vehementer purgant & deter-
gunt,ſicut oſtendemus, adhibere oportet. &
forte quidem opus vel perficient,vel non. Si
enim corpus craſſis & duris ſit imbutũ, ſitq́
inclinans ætas, vel vuea multum expullulet,
tu ipſe, nonnihil collyrii iam indicati croco
ipſo inde ablato,parteq́ appoſita lapidis hæ
matitis inſtillato. id vero ſępius facito in die,
& oculum leniter vincito. Et hæc quidem de
oculorũ prouidentia te ſcire oportet. Dehinc
vero & gutturis. Et oris habere rationem,ne
ſcilicet tubercula & bullæ in ipſis expullulẽt,

ſintꝗ; inſpirationi impedimento, quoniam accidit non raro in peſte vt languens in ſuf‐focationis affectum tendat. Quocirca præue‐niendum eſt curatione. Namq; præueniente ſuffocatione, neque ſpes ſalutis erit, neque cu‐ratio. Languentem enim oportet, vbi primũ apparuerint peſtis ſigna, gargarizare in acidi punici mali ſucco, vel in infuſo rhu ſyriaci, vel in ſucco ſycomori, vel in quibuſdam his ſimilibus, quæ tunc indicauimus cum de ex‐tinguentibus loquebamur. Quòd ſi nihil eo‐rum quæ indicauimus adſit, gargarizato ex frigida aqua pura. Id vero ſæpius in die, quò de duobus alterum fiat, facito: vel vt in gutture expullulet prorſus nihil, vel paucum ſit, ſi expullulet. Ii enim loci robore adepto ad ea excrementa ſuſcipienda minus oportu‐ni euadunt, à quibus ſanè par eſt, vt ſuffoca‐tiones fiant. Euidentiora vero ſunt hæc, vbi cum aliis ſignis raucoſæ ſunt voces, & diffi‐culter ſpirent, & cum difficultate ab raucedi‐ne fuerint occupati, & morſum in gutture pa‐tiantur. Cum ergo hæc adeo inſignia eſſe vi‐deris, tu poſt perturbationem & exacerbatio‐nem vniuerſæ peſtis venam ſeca, quæ ad ca‐put tendit. Vbi vero peſtis læſionem ſolam, ac nonmortem affert, neque ſuffocari lan‐guentem ſuſpicaris, ac neque eſt incendium

vehemens: pſyllii ſuccum exhibeto, & oleum amygdalarum, & ſacchar. ad hunc modum apparata. ſunto amygdalarum purgatarum pars vna, & ſeminis cucurbitę partes duæ, & ſaccharis partes tres, vbi expreſſeris propinato. Quòd ſi aluus profluxerit, gummi arabicum apponito, & puram tragaganthanı, & ſuccum cotoneorum qui ſubſidentiam fecit. Dehinc adhunc modum articulis curam adhibeto, ne forte in ipſis immodice expullulet pernitioſa peſtis, & corrumpat os, & detegat oſſa, & tendones vinculaq́ę. Quamobrem ad horum curationē properato vt dicebamus. Sandalo ipſos, glaucio, & bolo armeno, & roſis, & aceto, & roſarum ſtillatitio illinito. eas vero quæ ab his diſtant particulas ne abundè illinito. Quòd ſi multum expullulabunt, tu vbi ſcarificaueris, effunde quæ inibi continentur, ac ne occaſionem vel prætερito, vel abiicito, vt qui noueris conctationis periculum in hac parte non eſſe negligendum. Inde vero naribus & auribus, ne in ipſis multum expullulet, ac languentem lædat, prouideto, magisq́ę ſi intus in aure expullulabit. Marmor igitur cum aceto & collyrio ex glaucio & diſſoluto croco apparato leuigare oportet, intusq́ę in aurem bis ac ter per ſingulos dies iniicere. Quòd ſi in volis manuum expullu-

labit, tu haſce ex oleo tepenti, quo goſſipia ſint imbuta, multum refricato, & in calida aqua foueto. Verum ſi dolor nõ ſedetur, nec peſtis facile expellatur, tu ſeſſamum prępurgatum vbi contuſeris, & in lacte macaraueris, ipſas illinito, & in linteo per totam noctẽ adligato. dehinc vbi ammoueris, & calenti aqua foueris, rurſum illinito. Verum ſi velis, palmulas vbi contuſeris & in butyro maceraueris, vel in ſeminis ſeſſami fæce illinito, ſiquidem hæc, & conſimilia cutẽ remolliunt, faciuntq́ꝫ vt peſtis facilè excernatur, & dolorem ſedant,

De peſtem celeriter concoquentibus. Cap. 9.

EA igitur, quæ peſtem cito concoquunt, explicemus. Vbi igitur poſt peſtis expullulationem videris quòd coctio protelatur, & languentis affectus bene habet, & inſpiratio & pulſus modum ſeruant, neque grauiter fert morbum languens: tunc coctionis celeritati opitulandum. Quòd ſi puſtulas duras non ſecus atque verrucas eſſe intuearis, & languentis affectus haud bene habet, & malum ad incrementum tendit: ne tentaueris coctioni opitulari, quoniam id fieri ne-

quit, cum puſtulæ ſint letales. Sin mitis ſit affectus, foueto ex calenti aqua in qua chamemelum, melilotum, althæa, violæ, & furfur triticeum ſint cocta, & in olla ſicut antea dicebamus, admoueto. Atqui in initio & hoc tempore exiccantia omnia, & fumũ deuitare oportet, quoad ſcilicet coctio fiat pro ratiõe. dehinc eas quæ magnæ ſunt, quæq́ꝫ modum excedunt ſcarificare eſt opus, & ſeroſitatem quæ in ipſis eſt ex flacido goſſipio mundoq́ꝫ exiccare, & fumum admouere, qui de cortice exhalat vel ſiccæ amygdalæ vel ſiccæ myrti, vel de foliis ſiccæ roſæ, vel de ſandalo, vel de folio Iridis. Verum per æſtatem folia roſarũ ſunt præſtantiora, ſicut per hyemem pulegii. Si vero quod ſeroſum eſt exuberet, roſam leuigatam, aut farinam vel oryzæ vel millii vbi in linteum tenue rarumq́ꝫ inieceris, languentem in ipſum declinato. Quòd ſi forte languens ex his ſit quorum corpus vlcuſculis ſcatet: tu facto ſtragulo ex lilio, & ipſo irrorato aſpergine ex bolo & myrto apparata, ægrum in ipſum reclinato. Quòd ſi corporis particula ea ſit, quæ vlcuſculis male habet, ſpargito contritam aſperginem ex aloe, & thure, & diſſoluto croco, & draconis ſanguine apparatam.

De exiccatione eorum quæ coctionem receperunt Cap. 10.

VErum ſi rumpantur ex ſeipſis, hæc exiccato. Quamobrem ex ſalibus adhunc modũ Arefacito. olei vnciam vnam, ſalis gadirici ſextulas duas. Vbi ligaueris ad limacis leuitatem, deinceps in hunc modum vt æquũ eſt miſcueris, ſtupa corpus vniuenſum abſtergito, his exceptis locis, qui ſunt vlcerati: non enim hæc medicamenta ſunt apponenda partibus vlceratis, ne vehementer ab ipſis errodantur. Vbi vero ad horam inunxeris tunc ex aqua, in qua lutei myrobalani, & myrti folia, & punici mali cortices cocta fuerint, perluito. Et ſi hęc quidem opus perfecerint, eſto. Sin minus, Bolum album minimeq́; ruboris participem vbi acceperis & veluti decimam huius partem gadirici ſalis exactè leuigaueris, cum ſtupa illinito, & inde ad duas horas abluito.

Quomodo ſquamulas & cruſtas in peſte expurgare oportet. Cap. 11.

QVando vero iam integre fuerint exiccatæ, maneatq́; adhuc reſiduum in corpore, conſiderato quid in numero earum te-

nue ſit, & exactè ſiccum, & humore carens, & in ipſum oleum ſeſaminum tepidum ſemel & bis & vlterius quoad remolleſcat, & ex ſeſe decidat, inſtillato. Sed quæ in facie ſunt, non hiſce. ſed oleo piſtaceo opus habent. Si vero humiditas inſit, leuiter abſq; oleo quopiam expolito. Quòd ſi non multa humiditas eiectæ cruſtæ ſubeſt, detergito ex flaccido goſſipio, ſicut dictum fuit. Verum ſi multa quidem ſpargito attritam aſperginem, ſcilicet vbi myrrham acceperis, vel aloem, vel thus, vel horum quoddam, & leuigaueris, & & in tenuem pollinem redegeris, ſpargito ſuper ipſam, & magis quidem ſi iam imminuta, & veluti deterſa ſit, & ſinito immorari donec altera ſquamula exoriatur. Verum ſi puſtulæ in corpore carent cauitate, & purgatæ non ſint, ſtupam & ſales admoueto: ſin ſiccæ ſunt, nihil quoad ex ſeſe exciderint, adhibeto.

Cicatrices quomodo de oculis & corpore vniuerſo delere oportet Cap. 12.

CIcatrices duobus in locis fiunt, vel in corpore vel in oculo. oculus igitur & caligat, & albeſcit. corpus vero cicatricem ſeruat, ſcilicet ſi molle ſit & tenui cute. vnde difficulter ſanari poſſunt. Verum reuocanda

ſunt ad memoriam quæ cicatricem ducunt & detergunt. Sunt quidem gangrenicum nitrum, & ſal tzabaricon, adarce, exuſti cancri, veſpertilio, paſſerculus, ſalſamentum, muris ſtercus, acori radix, ebeni ſcobes, mamiras, tutia, hæmatites, ærugo, ſacchar combuſtum, cõbuſta fæx aceti, rhus pars corticea, myrrha, beronica inſigniter, oleum amygdalinum, lactuca agreſtis, lignorum caries, moſchus. Hæc à balneo admouere optimum. Ex his vero, quæ mollia ſunt, mollioribus corporibus ſunt ex vſu, ac magis quidẽ corporibus mollibus humidisq́ꝫ. Valent pellendis albuginibus oculorum, ſacchar, & ſarcacolla. Aliud valentius. Aeruginis ſextulas ſeptẽ, myrrhę, aſſæ fœtidæ, ammoniaci, ſarcocollæ, ſingulorum ſextulas duas, adarces, & nitri, & dragunculi ſingulorum ſextulas duas, amomi ſextulas ſeptem, mamiræ (hæc radicula eſt cuiuſdam herbæ, frequentes geniculos habentis) ſextulas ſeptem. coquantur in libris decem aquæ vel pluribus etiam quoad liquentur, & craſſeſcat aqua, dehinc in ebeno ad conſiſtentiam vſque leuigato, & tempore oportuno oculo ex ſpecillo admoueto: ac dehinc vbi deſieris, molles aſpergines effundito. Quòd ſi rubore oculum tingi intuearis, pro tempore hanc curationem omittito. Quoniam vehe-

mens ſit valde, dehinc rurſum adhibeto. Quę vero cicatricibus adducendis in corpore vniuerſo ſunt ex vſu, ſunt hæc. ſpuma argenti dealbata, arundinis radix ſicca, oſſiũ, & ſandali ſcobes, coſti radix, ſarcocolla, amaræ amygdalæ, balſami fructus, raphani, & peponis ſemen, farina fabarum, & oryzę, & lupinorum, & faſeolorum: hæc omnia vbi in aqua coxeris, in qua oryza ſit macerata, vel in ptiſſanæ ſucco, & illinieris, refricato. Aliud. Farinæ fabarum, & cicerum ſingulorũ ſextulas duas, ſeminis peponum ſextulas. iii. ſpumæ argenti combuſtæ ſextulã dimidiã, radicum arundinis ſiccarum ſextulas duas. hæc omnia vbi in ſucco ptiſſanæ leuigaueris, illinito. vel in balneo quidem, vel poſtquàm languens euaporatione vſus fuerit, & fotu per ollas plenas calente aqua. Quòd ſi etiam lotione vteretur, peponis cortex, violæ ſiccæ, & furfur, cicerq́ꝫ aqua incoquantur, & cum diligentia rifricetur. Aliud valentius. Fabaceæ farinæ ſextulas tres, piperis ſextulam vnam, ſeminis cardami ſextulas duas, argenti ſpumæ dealbatæ ſextulas duas: & vbi inieceris raphani ſuccũ, illinito. Et hæc quidem ſunt, quæ cicatrices ducunt. Quòd ſi inungere velis cauitates corpusq́ꝫ applanare, admoue quæ impinguant, & frequenter laua, & refrica diligẽter.

De victus ratione, & alimentis eorum qui capti ſunt à peſtilenti morbo. Cap. 13.

HIs igitur ſuccum ptiſſanæ offerre oportet diligenter coctum, ſcilicet ſi febris ſit excocta quodammodo & mitis, & aluus vt decuit nequaquam fluxit. At ſi multus inſit calor, & profluxit aluus, medietatem punici mali iniicito contuſis ipſius granis. Verum cortices punici mali & membranas deuitato, ſubductiuę cum ſint. Quòd ſi languēs ſit vigil, iniicito & ptiſſanæ ſuccum, & eius dimidium ex papaueris ſucco. Quòd ſi multum excernit venter, ſunto ſuccorum æquales partes, ſcilicet & ptiſſanæ pariter, & granorum acidi punici mali, & capitum papaueris. hæc vbi coxeris, vel pura exhibeto, vel cum cinerula. Quòd ſi ex immodico alui profluuio cogereris, medicamentis vtitor, quæ paulo poſt indicabuntur. Quin immo & ptiſſanæ ſuccus cum acidi punici mali ſucco temperatus correpto à morbo peſtilenti prodeſt, & ei magis qui ex incendio male habet. At cucurbitæ ſuccus, necnon indici peponis, & tetranguri, & pſyllii, & talia à quibus pituita generatur, accōmoda ſunt optimaq́ꝫ. Verum largius incendio quàm peſti opitulantur, modo ne aliqua ſæuities peſtem co-

mitetur,& cum vigilia vehemens inſit calor. Verum in peſte mitiore hæc non ſunt temere offerenda, quoniam & morbum producunt,& crudum reddunt. Quamobrem te ad corporis proportionem, & ad iam dictos affectus conuerti oportet. Peſti enim, quæ de humiditate generatur, quæq́ꝫ de putredinoſa caliditate ſuccenditur, cum frigefacientibus ſiccantia, & craſſefacientia offerre oportet, velut punici acidi mali ſuccum, vuæq́ꝫ acerbæ & ſimilia. At incendio, quod ex ſanguinis bile admodum ſincera conſtat, humectantia cum frigefacientibus ſunt offerenda, vt corruptus ſanguis eius qui in incendio male habet, ſuperetur. Similis eſt is aquæ ſtãti, quæ putredinem ſeparatam habet, & tenuitatem ſpirat, ſole nimirum ipſam & coquente & in vaporem conuertente: Immo & ei, quæ vbi ingentem malitiam duxit, commixta eſt cum aqua vel pluuiali,& etiã profluenti,& potabili, quæ degenerat,& immutatur. Atqui peſtilentia affecto etiam polenta lota cum ſacchare opitulatur, vel in ſucco punici mali, vel in zulapio: ſcilicet pro vrgẽtis neceſsitate,& aluo retinenda & mouenda, & calore augendo & minuendo. Verum cõducibilior eſt ſuccus ptiſſanæ his, qui peſtilentia male habent, quoniam facile ſubintrat, &

thoraci & gutturi opitulatur, facitq́; pro pro portionis ratione. Vbi præterea non ignoraueris quòd ptiſſanæ ſuccus prodeſt captis incendio, vel etiam peſte, modo ne ſit valde nequam. Quòd ſi ad eum modum habet, tu purgatam lentem cum ſucco acidi punici mali offerto. Hoſce vero etiam iuuat lentis farina cum frigida aqua. Hoc vero etiam nõ ignorato, quòd his frigida aqua confert, qui ab incendio ſunt occupati, & quòd his minus affert periculi, quàm his qui à peſte detinentur. Etenim his ſymptoma nullum accedit ex frigidæ aquæ vſu. Nihilominus ſi videris peſte laborantem valde exuri, & denſum ſpiritum, denſumq́; pulſum habere, extinguentibus vtitor diligenter: ſin parum quidem, paruis: verum ſi multum, multis. Volatile autem ne ſinito manducare, niſi ipſorum pulſus & inſpiratio affectum receperint naturalem, & ſquamulæ aruerint exciderintq́;.

De curatione ventris eorum qui à peſtilentia male habent Cap. 14.

SAepiſſime accidit in hoc morbo, vt pro fluat per inclinationem venter, magisq́; in incendio. Hæc igitur quæ ſubducunt poſt

iudicationem morbi cauere oportet. tametſi venter quàm maxime ſiccus eſſet. Verum ſi opus eſſet in morbi initio,& ante inclinationem offerre, partim quidem ob caloris exceſſum, & capitis pulſationem,partim vero vt natura alleuietur, & morbi materia minuatur. ſcilicet ſi admodum venter & ſicceſcat, & cohibeatur: Et hoc quidem prorſus cõiectabere, ſi corpus videris ante vel poſt venæ ſectionẽ,non tabidum nec viribus præſtans, immo & exturgens & exertum, non ſubmiſſum cumalbore & exiguo rubore, & imbecilli febre, & pulſu vndoſo. Hæc enim omnia ſi concurrant, non eſt opus venæ ſectione, ſed his ſolum quæ humiditatem tollunt, ac præſertim,cum apparuerint ſigna, & multa carne abundent,ſitq́ꝫ decolor, minimeq́ꝫ ruber,febris hebes. Tunc myrabolanum coctũ cum ſacchare & ſucco acidi punici mali eius vaginis, quæ interſtitia ſunt,vnà contuſis ſolum confert.Quoniam hæc duo medicamenta e corpore multam humiditatem demunt nullo calore concitato, magisq́ꝫ punici mali ſuccus.His vero,qui in incendium inciderũt, liquidum damaſcenorum ſuccum cum zulapio propinato.Deterſiuum vero nihil adiicito,quoniam hæc in hiſce morbis,vt mel,lædunt calidos temperamento & ſanos,languẽ-

tem enim & faſtidioſum & implacidum red dunt, nauſeamq́; adaugent. Sicut vero in his conuenit ſecare venam, quando nulla ſpes eſt aliter ſedari poſſe: partim quidem vt natura à plenitudine ſubleuetur, & vt ſuſpicionem ſuffocationis languentis deuitemus; partim vero vt plenitudo, & venarum & arteriarum tenſio, quæ neceſſario cum malis ſymptomatis fit, auferantur. Ita etiam decens eſt in incendii initio excernere bilioſum ſuccum quendam qui admodum ſuperabundat, dehinc ad hunc modnm decēter porrigere quæ extinguant. Id quod ſcies, cum videris vehementem flammam, & oris amarorem, vomitumq́;. Ea vero ſi abſint, ſcito magnitudinem nõ eſſe multam. Si vero languens perſpiret, & ſiti careat vomituq́;, incendium minus eſt malignum. faſtidium enim inflammationi & exuſtioni proportione reſpondet. Et hæc quidem te ex diligentia circa ventrem incipientibus his duobus morbis noſſe oportet. Quando autem aluus profluet, loco ſucci ptiſſanæ polentas exhibeto. vbi vaginas etiã acidi punici mali ſimul coxeris, adiectis & gummi arabico, & cinerula exacte ad leuitatem limacis leuigatis. Quod ſi vis, ante ptiſſanæ cremorem, hæc porrigito: dehinc cremorem adhunc modum, roſas contuſas, &

tritam cinerulam,acidam citri partem, pſylLii ſemen,rhun ſyriacum,oxyacantham,gummi arabicum, bolum , caput papaueris, ſint omnium pars æqua.& ſuauis roſæ velutiillorum pars dimidia, & ſimplicis &acidi cotoneorum ſucci ſextulæ duæ. Quód ſi aluus adhuc ſubducitur nec ab hiſce cohibetur, Rhaib propinato,hoc eſt acidi lactis ſeroſam partem cum pane torrefacto , & gummi arabici parte exigua. Quoniam ferè maxime eorum parti alui ſuccedit fluor . Tu igitur etiã ad ſpectatos affectus curationes adhibeto.

De peſtilentia miti ac letali Cap. 15.

IAm igitur tempus inſtat vt de peſtilentiis mitibus & letalibus verba faciamus. Duo hi morbi acuti cum ſint, communibus ſignis letalium inquam morborum , & mitiorum hęrent. Cuiuſmodi eſt,animi ſeruari morem, conſtare mente,bene ſpirantem eſſe,ciborum oblationem minime ægreferre,facile & leuiter dimoueri,bonos habere pulſus,morbum ab languente ſperni , belle decumbere , raró per ſomnum volutari , & quæ ſimilia ſunt his. Et ex bonorum ſignorum notitia, ſcientia eſt contrariorum . Quæ nos breuibus in integro noſtro volumine patefecimus. Quæ

vero propria ſunt duorum morborum, ſunt hæc. In morbo peſtilenti puſtulæ albæ, & calidæ, & ingentes, & inuicem ſeparatæ, & paucæ, modum ſeruantes, & quæ abſque ingenti febre, abſque angore, & impatientia facile excernuntur: & cum languens dum iudicatur, ab omnibus malis conquieſcit, & prorſus poſt integram expullulationem quieſcit, & miteſcit, nullis vel reliquiis vel perturbatione manentibus: ſic morbus mitior eſt, minorię ſubeſt mutationi: Ac nihilominus quidem ſi albæ ſunt & ingentes, tametſi & multæ ſint, & coniunctæ, non modo ſi facile excernantur, immo ſi facta excretione bene ferat languens, neque angitur, ac neque exuberet calor, mites ſunt & ipſæ. Quæ ſi albæ ſint quidem, & difficulter excernantur, immo ſi peracta excretione haud facile ferat languẽs, quodam modo mediocritatem ſeruant, & ad vtrunque æquè inclinant. In numero vero albarum eæ ſunt malignæ, quæ coniunctæ ſunt ſimul & ſeſe mutuo intrant, & cum explicantur fit vna ex earum multis, & quæ circulo amplam regionẽ ex circunſtanti corpore ambiunt, quæę pinguitudinis adipis veformam habent. Quinimmo & quæ interalbas ſunt exiguæ, & quæ humore carent verrucarum inſtar, eatenus ſunt malignæ,

quate-

quatenus difficulter concoquuntur. Adhuc vero magis, ſi languens impatiens ſit facta excretione. Sin impatientia, & languentis affectus ad vltimam vſque excretionem ad eũ modum perſeuerent, id letale. Quæ vero ſub viridi colore, & quæ rubiginoſo, & quæ nigro conſtant, letales omnes. Si vero accidat languentem cum his nauſeare, & cordis dolore premi, adhuc peius, & interitus paratior. Quod ſi in peſtilenti morbo febris poſt excretionẽ augeretur, difficile: ſin deleatur, mitius. Verũ ſi peſtilens morbus ſecundo emergat, materiæ copiam oſtendit. Qui ſi ſit ex miti genere, ſalutis eſt ſpes ſin t ex letali, mors expectanda. Atqui incendia leuiora ſunt ſi carent rubore ingenti. Verum puſtulę pallidæ, ſunt malignæ. Virides autem & rubiginoſæ, letales. Et hæc quidem duo genera, ſi iam veluti deterſa & obſcurata ſunt, ac rurſus proferantur, letale; verum ſi cum his accidat & nauſeare & animi angore premi, animi deliquium exitioſum ſequetur ſenſim, immo cito quidem modo ne ſi t intermittens morbus. Atqui ſi morbus peſtilẽs expullulabit, à quo aduentabit febris, à primo inquam die, ſcito velocis motus eſſe, & boni euentus: ſin ad tertiam vſque diem hebes eſſe poſſet. Quod ſi in iudicialibus diebus efflorebit, & ex miti-

bus magiſq́; ſi languens ab initio facile tolerabit. Et contra ſi morbus peſtilens vbi continuari inceperit, atque in latum pandi, & vehementer angitur languens, & turget venter, vicina eſt mors. Cum vero hi duo morbi interim quidẽ delentur, interim uero apparẽt, & languens nullo non tempore conflictatur. ſunt exitiales, qualis qualis ſit color. Verũ in puſtulis albis raro contẽplati ſumus deſipientiam, animiq́; angorem. Vbi vero vel in crure, vel in manu, vel alio in membro in peſtilẽti morbo accidat, initio fieri dolorem ingentem, colorq́; dolentis membri vel ſubuiridis vel niger appareat, vireſq́; infirmentur, & inualeſcat dolor, letale. Sin vires roborẽtur, aderit ſalus, modo ne pars dolore affecta obputreſcat. Verum ſi imbecillus quodammodo roboretur, & initio ipſã ſcarificaris, iuuabis multum & à putredine liberabis. Quãobrem in eiuſcemodi malis frigefacientia particulæ nequaquã admouere oportet, ſed facere duorum alterum, vel ſcarificare vt dicebamus, vel calida aqua perfundere, ſcilicet ſi ab initio ſpectabis languentem faciliter tolerare.

Morbi cauſas explicuimus, ſymptomataq́;, nec non præſeruationem, & curationes. reliquum eſt ut orationi finem faciamus.

FINIS.

5262200